

admirabili Emphasi Spiritus S. nobis *normam* velut *subtracti-*
onis illius subjungit, cum dicit, fieri λόγον συντετμημένον ἐν
δικαιοσύνη in *justitia*: quod quomodo intelligi possit ac de-
beat, ipse Apostolus tum in antecedent. capitibus, ubi de *ju-*
stitia vera & unica fidei egit, tum in hoc capite commati-
bus sequentibus 30. 31. abunde exponit: quando scribit, *omnes*
eos damnari, qui veram justitiam ex unica fide in Christum re-
sultantem rejiciant & contemnant, & in hoc lapide *offensio-*
nis allidantur, atque sic naufragium salutis faciant; eos vero
salvari, qui Christum vera fide, & quidem constanter & us-
que ad finem perseveranter, amplectantur, ejusque justitiam
sibi applicent. Notabilis ante omnia phrasis Hebraea est in
loco nostro, ut habetur apud Esaiam: quod nimirum
קרקר שטף כליון חרוץ שטף צדקת *rationarium decurtatum & subtra-*
ctis rationibus formatum & consummatum effundat justitiam
שטף enim *plenis alveis effundere & eruere* significat, quod
neminem dubium habet. De *abundantissima* itaque *justi-*
tia aliqua loquitur, quae velut *superfluat*, & hominibus et-
iam nolentibus & contemnentibus offeratur, quam B. LV-
THERVS admodum egregie expresit: So kömmt die Gerech-
tigkeit überschweniglich: nimirum non quoad *applicationem*,
illam enim pauci admittunt, sed quoad *acquisitionem & ob-*
lationem, quae ad omnes homines pertinet. Estque illa alia
nulla, quam Christi justitia, per passionem ac mortem, sive
obedientiam activam & passivam, acquisita & comparata,
adeo locuples & abundans, ut *ἰλασῆσιον* praebere possit *toti*
mundo, ejusque *peccatis* 1. Job. II, 2. *Effundunt* vero ratio-
nes divinae computatae & subtractae *justitiam*, id est, de-
clarant justitiam abundantissimam ac sufficientissimam in
Christo omnibus hominibus esse oblatam, verum a multis
non esse acceptatam, aut si fuit acceptata, rursus per ἀπο-
σασίαν rejectam, pedibusque calcatam fuisse.